Programm

des

Gymnasiums und der Realschule

in

Zittau,

womit

zu den am 26., 28. u. 29. März d. J. im Zeichensaale des neuen Gymnasialgebäudes

abzuhaltenden

Prüfungen

ergebenst einladet

Prof. Heinrich Julius Kämmel,

Director der vereinigten Anstalten.

Inhalt:

1. De A. Gellii vita, studiis, scriptis narratio et iudicium. Abhandlung vom Gymnasiallehrer Dr. Vogel.
2. Jahresbericht. Vom Director.

Zittau 1860.

Gedruckt bei Johann Gottfried Seyfert.

De A. Gellii vita, studiis, scriptis narratio et judicium.

Cum ex ingenti numero Romanorum, qui Antoninorum aetate floruerunt, scriptorum vix unus et alter relictus sit integer: multis nominibus profecto gratulandum est literis, quod A. Gellii 'Noctibus Atticis' temporum invidia pepercit. Quomodocunque enim de scriptoris illius ingenio, arte, judicio existimandum erit, ipsa illa aliorum auctorum inopia facit, ut, — si quidem rerum scriptarum copiam atque gravitatem magis quam scriptoris artem judiciumque consideramus, — vix minoris sit ille quam optimus quisque auctorum faciendus. Saepe enim accidit, ut ex ipsis auctoris vitiis, cum in elocutione tum in distributione rerum conspicuis, ad augendam antiquitatis scientiam fructum capiamus maximum. Neque mirum: eorum enim, qui praeter illum ad nos pervenerunt, scriptorum alter, Fronto, adeo mutilatus est, ut vix possit ex disjectis istis membris quicquam, quod continuum sit et perfectum, conglutinari; alter, Apulejus, homo Africanus, adeo se in suae doctrinae suaeque eruditionis finibus continuit, ut de saeculi moribus et indole admodum pauca inde possint repeti. At vero ex Gellio quasi ex inexhausto quodam doctrinae fonte omnis fere fluit scientia, quam cum de aliis rebus permultis habemus tum de aevi illius studiis atque ingenio.

Quae cum ita sint, operae pretium mihi videbatur esse facturus, si quis uberiore, quam quae scriptoris virtutibus fortasse debetur, disputatione in ejus vitam studiaque inquireret. Accedit, quod quae primis post restauratas literas saeculis in diversas partes de A. Gellio disputata sunt, — et exstiterunt sane ipso primo recentioris philologiae saeculo multi, qui de scriptoris illius virtutibus dimicaturi in arenam descenderent, — quod ea, inquam, et in laudando et in castigando tam procul ab aequi judicii temperata moderatione absunt, ut apud judices lis agi videatur, non veritas limari inter doctos.

Nam contra Ludovicum Vivem, qui non immerito Gelliomastix appellabatur ab aequalibus, acerrimus Gellii patronus exstitit H. Stephanus in 'Noctibus Parisinis';

contra Scioppium, Lipsium, alios tam immoderate, ne immodeste dicam, *Christianus Falster* in 'Amoenitatum philologicarum' volumine II. ex. (ed. Amstelod. 1729.) Gellii causam egit, ut eloquentiae laudem fortasse meruerit, veritatis non item: quamquam multa ille quidem congessit in panegyrico suo, quibus uti possint, qui sanioris sunt judicii.[1]) Alii, — veluti Ruhnkenius, Fabricius, Funccius, Albertus Lion[2]), — pro consilio, quod in suo quisque libro secutus est, non tam pertexuerunt, quam leviter perstrinxerunt has quaestiones. Nostro autem saeculo praeter eos, qui in lexicis et literarum latinarum historiis obiter Gellii quoque censuram egerunt, e quibus honoris causa Bernhardium et Baehrium nomino, nemo fere, quod equidem scio, provinciam eam attigit. Is autem, qui incorruptum Gellium e codicibus nuper nobis reddidit, *Martinus Hertz*, vir doctissimus et ad munus illud suscipiendum praeter ceteros paratus, amplioris editionis copias etiamnunc in scriniis recondit, quippe aliis curis, gravioribus sane, paulisper a Gellio avocatus.

I.

De *vita* A. Gellii valde dolendum est, quod nihil omnino traditum est ab aliis scriptoribus. Quem etsi passim veteres grammatici (quod infra suo loco docebitur), alii aperte alii dolo malo exscripserunt vel imitando expresserunt, tamen, quae est librorum illorum ratio, nihil posteris praeter nomen illi tradiderunt. Erit igitur, quicquid de A. Gellio enarrabitur, e collectis iis rerum temporumque vestigiis componendum, quae libris ipsius impressa sunt. Quae testimoniorum inopia ad eos quoque pertinet viros doctos, quibus praeceptoribus vel contubernalibus Gellius usus est.

Atque primum quidem ne hoc quidem satis constat, *ubi* natus sit Gellius et *unde* ortus; quamquam inde, quod 'Romae puerilem togam se mutasse' dicit (XVIII. 4), sequitur, eum aut in lucem ibi editum aut tenera certe aetate eo deductum esse. Neque vero, utram sententiam sequaris, multum interest. Videlicet eo ipso, quod civili more virilem togam sumsit, civem Romanum eum fuisse confirmatur; ipse praeterea pluribus locis, (cf. proxima), civium Romanorum juribus honoribusque se ornatum fuisse testatur. Satis nobili loco natum, lauto patrimonio exstructum eum fuisse, inde colligitur, quod non solum optimorum praeceptorum auditoria frequentare, longinquas peregrinationes suscipere, libros magno constantes coimere per rem familiarem ei licuit, sed quod postea etiam in judicum album relatus est: qui honor etsi a Galbae[3])

---

1. Quantopere omnino haec de A. Gellio controversia illis temporibus, quibus antiquitatis scientia ex uberrimis fontibus majore interdum doctrina quam judicio hauriebatur, doctissimorum hominum animos exacerbaverit, egregie illustrat Falsteri, quam supra diximus, dissertatio: ad quam omnes eos delegatos volumus, quibus historia eruditionis curae est.
2. *Ruhnkenius* in praef. ad Apulejum; *Fabricius* in Biblioth. Lat. vol. III. cap. I. ed. Lips., *Funccius*, in libro de vegeta lat. ling. senectute IV. §. 5 sqq.; *Albertus Lion* in praef. ad Gellii edit., Gotting. 1824. p. X sqq.
3. Suet. vit. Galb. 14; cf. praet. ejusd. vit. Octav. 32.

temporibus iis quoque mandabatur, qui infra censum equestrem essent, plerique tamen judicum erant equites, omnes sine dubio aliquo inter cives numero. Fueritne autem oriundus a nobilissima eademque patricia gente Gelliorum, circiter annum a. Chr. n. CC ex Samnitibus in civitatem recepta, quae cum honoribus multis tum Cn. et A. Gellii [4]) nominibus splendebat, haud scio, an certis argumentis dijudicari non possit. Nam si in ulla, certe tali in re caute versandum est, ne temere propter nominum aliquam similitudinem diversae gentes confundantur, illis potissimum temporibus, quibus omnia antiquorum instituta jam coepta essent dissolvi. Confidentius Aulum antiquae Gelliorum genti vindicat Baehrius [5]), vir doctissimus; nos judicium in tali re cohibere, quam incerta pro certis venditare maluimus. At vero eam, quae de Agellio atque A. Gellio olim erat, controversiam retractare supersedimus: scilicet satis jam inter doctos de A. Gellio convenit, quam nominis formam et aliae causae et codicum nonnullorum auctoritates tueantur.

Literarum igitur primum tirocinium posuit Romae (XVIII. 4). Virili toga sumpta cum ipse jam 'exploratiores magistros' sibi quaereret (ibid.), prudenti judicio elegit *Apollinarem Sulpicium* [6]), qui tanti ab aequalibus aestimabatur, ut grammaticus ille, qui inducitur XIX. 13. 5, 'piaculum committere' sibi videretur, cum illo praesente, quid ipse sentiret, exprommeret. Cui adeo se addixit Gellius, ut praeter illum grammaticorum vix unum alterumve tunc sectatus esse videatur (VII. 6. 12; XX. 6): idem postea, cum ipse jam aliquem locum inter grammaticos obtineret, — sive de rebus grammaticis scrupuli moti erant (XI. 15; XIII. 20; XVI. 5), sive in obscuris quibusdam actionum civilium verbis dubius haerebat (XII. 13. 1), — quem libentius consuleret, habuit neminem. Appellare eum non dubitat, 'hominem sua memoria doctissimum' (XIII. 16; XVIII. 4; IV. 17) atque auctoritati ejus si quando obloquitur, quod et raro facit neque unquam nimis confidenter, apparet, quantopere illo inferior esse ipse sibi visus sit (II. 16. 10; XII. 13. 21. al.).

A grammaticis studiis tralaticio more ad rhetoricen transgressus, eodem animi ardore amplexus est *Antonium Julianum* [7]), quem 'amoeni hominem ingenii et

4. De A. Gellio illo, rerum scriptore, cui ille 'historiarum liber primus' videtur esse vindicandus, quem Nonius laudat s. v. bubo, adeas Krausii vitas et fragmm. hist. Rom. p. 212.

5. In Pauli Encyclop. Antiquit. s. v. Gellius. Eandem sententiam repetiit in hist. lit. Rom. vol. II. p. 588.

6. Fuit Apollinaris, homo Africanus, non solum Frontoni familiaris (XIX. 13) sed omnino aequalibus et a doctrina et ab ingenio valde probatus; Pertinacis Imperatoris magistris adnumeratur a Capitolino (vit. Pert. 1). Neque ea, quae apud Gellium exstant, viri responsa et judicia faciunt, ut de gloria ejus quicquam detrahendum esse videatur, immo potius ut doleamus, quod commentarii ejus et epistolae interciderunt. Ejusdem Apollinaris esse perhibentur, quae etiamnunc in editionibus exstant, Terentianarum comoediarum periochae. Cf. Baehr. Hist. lit. Rom. I. p. 178.

7. Quam bene idem in grammaticorum quaestionibus versatus fuerit, docent loci IX. 15; XV. 1; XVIII. 5; XX. 9. — Apud alios auctores Antonii mentionem fieri, equidem non memini.

honesti' eundemque 'Hispano ore florentisque facundiae' fuisse dicit I. 4. 1; XIX. 9. 2. Hunc domum deducebat, hunc plausibus excipiebat, hunc comes secutus est, cum Puteolis (XVIII. 5) et alias Neapoli (XV. 1) feriarum aestivarum tempus ille 'in literis amoenioribus et voluptatibus pudicis' transigeret. — Insuper *T. Castricii* [8]) rhetoris institutione usus est, qui non minus severitatis et gravitatis laude insignis erat, quam Antonius elegantiae et suavitatis.

De M. Cornelio Frontone uberius dicendum erit infra, quamquam jam tunc ad eum Gellio datus erat aditus.

Jam vero adolescens, ut omnes liberalis eruditionis numeros expleret, Athenas se contulit, ubi etiamtunc ingens nobilium Romanorum multitudo versabatur: quamquam Gellius ex illorum numero unum tantum nominat, Servilianum quendam, 'virum clarissimum', nobis autem ignotum (I. 2). Athenis quoque, quae erat ejus simplicitas animi et auctoritatum pia reverentia, non potuit, quin uni totum se in disciplinam traderet, *Calvisio Tauro* [9]), Platonis interpreti illa hominum memoria nobilissimo (VII. 10. 1), quem in studiis cum omnino philosophiae tum Platonis Aristotelisque ducem habuisse videtur si minus solum, at certe principem. Cum elegantissimo illo philosopho integros dies in sermonibus, meditationibus, lectionibus Gellius narrat sese consumpsisse; ab illo coena excipitur, aegrotus salutatur, aliis sectatoribus abire jussis solus non dimittitur, illum ad Pythia Delphos proficiscentem 'de more', ut ipse ait, quoquoversus prosequitur (XVII. 8; XVIII. 10; II. 2. 1; XII. 5).

Peregrinum Protea [10]), dissolutum illum cynicum et male sanum, qui illo tempore in tugurio extra urbem versabatur, quamvis 'constantiae et gravitatis' laudibus ornaverit, tamen non dubito, quin non tam sectatus sit tamquam discipulus, quam fortuito aliquoties docentem audiverit. Certe nunquam ejus mentio fit, nisi obiter bis (XII. 11; VIII. 3 lemma): neque omnino verisimile est, turbulentum illum hominem et cynico more petulanter mordacem via et ratione de ulla re publice disseruisse.

---

8. De Castricio cf. locos I. 6. 4; II. 27. 3; XIII. 13; XIII. 22; et Frontonis epp. p. 210 Nieb.
9. Et librorum, quos Taurum scripsisse Gellius et Suidas (v. *Ταῦρος*) testantur, tituli (*περὶ τῆς τῶν δογμάτων διαφορᾶς Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους*, *περὶ σωμάτων καὶ ἀσωμάτων* (Suid.), de Stoicorum *ἀπαθείᾳ*, commentarii in Platonis Gorgiam, Gell. I. 29. 3; VII, 14. 5) et reliquiae sermonum ejus, quas Gellio debemus, luculenter demonstrant, eum nihil aliud egisse, quam ut Platonis doctrinam docte explanaret, aequalibus commendaret, a Stoicorum reprehensionibus defenderet. Atque admiranda quidem est viri elegantia, eruditionis — maxime in philosophorum historia — copia, sermonis perspicuitas: neque est, cur Gellii judicio diffidamus, qui hic illic laudibus eum extulit. Cf. Euseb. ad annum a. Chr. 145.
10. De singulari illo homine, cujus vehementia animi et paene insania haud scio an magis admiranda sit quam mirae vitae vicissitudines, adeas Luciani librum de morte Peregrini scriptum, ejusdem Demon. c. 21., ex recentioribus Wielandium (Geheime Gesch. d. Philos. Voll. 27. 28). Constat, eum Olympiae spectantibus multis millibus hominum vivum in rogum ardentem ascendisse anno p. Ch. CLXVII.

Idem fere statuendum erit de *Herode Attico*[11]), splendidissimo illo sophista, qui tunc in amoenissima villa sua Cephisia otio fruebatur, vitae munditia et Imperatorum favore non minus, quam declamationum eleganti ubertate nobilis: quem etsi Gellius andivit publice inter ingentes omnium clamores declamantem (veluti contra ἀπάθειαν Stoicorum, qui locus profecto illo tempore erat inter omnes sectas vexatissimus XIX. 12. 1), dubito tamen an neque Gellius neque omnino quisquam discipulus ejus recte possit appellari; interest enim aliquantum inter rhetorem, qui discipulos artem docet, et sophistam ἐπιδεικτικοῖς λόγοις omnium ordinum auditores delectantem. At vero saepissime Herodes, qua erat urbanitate, nobiles Romanos, qui Athenis forte commorabantur, hospitio excipiebat; quod Gellio quoque interdum contigit, cf. I. 2. 1; IX. 2; XVIII. 10. 1. De Herodis iugenio et studiis accurate exponere longum est et a nostro consilio alienum. Ii autem, quos Gellius refert, Herodis sermones non in severioris disciplinae tiuibus se coutinent, sed liberius quasi evagantur et ad popularem intelligentiam magis quam ad doctorum subtilitatem accommodati sunt.

Degit Athenis Gellins si non plures, certe duos annos, cum bis ille ibi Saturnalia egerit (XVIII. 2; XVIII. 13); quod tempus ita collocabat in commentationibus, lucubrationibus, in audiendis magistrorum diatribis sermonibusque, ut perraro inter vina et joca missis doctis istis curis sibi indulgeret.

Romam reversus cum jam 'ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in lucem fori prodisset', a praetoribus lectus est in judices, ut judicia privata susciperet (XIV. 2): unde elucet, eum jam tum Romae non ignobilem fuisse. Cui muneri ne deesset, non solum eos libros adiit, qui de judicis officio scripti exstiterunt, sed subtiliorem etiam juris doctrinam e jurisperitorum commentariis hausit. Qua verecundia in litibus judicandis versatus sit, docet locus II. 25, quam prudenti consilio, locus XIV. 2, fortasse illud quoque, quod a Coss. judex extra ordinem datus est (XII. 13. 1). Neque postea, veluti grammatici Graeci in Alexandrini musei umbraculis desidentes, umbratile otium egit; immo vero ipse confitetur, 'arbitriis negotiisque districtum' 'per omnia negotiorum intervalla otinm sese furatum esse' (XI. 3. 1; XVI. 10. 1. praef. §. 12).

Maximi jam fuit momenti et ad studia strenue persequenda summum Gellio incitamentum, quod intimum contubernium iniit cum *Favorino*[12]), sophista Graeco

11. Cf. de Heroda Attico Philostrati vit. sophist. II., Westermanni hist. eloq. Graec. §. 90. Fabricii Biblioth. Graec. VI. 4.

12. Profitebatur Favorinus philosophiam et eam quidem, cui quicquam decernere religio est, scepticam: constat enim, pluribus libris Graece scriptis eum Pyrrhonis doctrinam novis argumentis fulsisse et Platonis disciplinam interpretatum esse (veluti περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας, περὶ τῆς Ἀκαδεμικῆς διαθέσεως, Πυῤῥωνείων τρόπων βιβλ. κ. etc.). Sed qua erat ingenii ubertate, philosophiam in declamatoriis pulpitis splendere quam in umbraculis latere maluit. Ea certe, quae publice declamavit (veluti 'laudes Thersitae et febris' XIV. 1; XVII. 12. 2) non tam philosophiam quam sophisticam artem sapiunt. Erit igitur Fav. iis

disertissimo, qui tunc Romae inter eruditos, quamvis nationo Gallus, lingua Graeculus esset, haud infimum locum obtinebat. Florebat enim primo Hadriani et Plutarchi (Spartian. Hadr. 16), postea Frontonis, Herodis Attici, Demetrii Alexandrini amicitiis. Quem Gellius videtur initio tamquam auditor praeceptorem sectatus esse (XIV. 2; XII. 1. 3); at vero paulatim adeo se illi commendavit, illum adamavit, ut paene nunquam ab ejus latere discederet. Cujus rei testimonia afferre opus non est. Quomodo in eum Gellius affectus fuerit, ingenue ipse profitetur XVI. 3. 1: 'tenebat animos nostros homo ille fandi dulcissimus atque eum, quo iret, quasi e lingua ejus capti (apti?) prosequebamur': neque tamen dubium esse poterit, quin Favorino quoque Gellium studiorum illa communio, vel potius mutua communicatio valde commendaverit. Hic videlicet delectabatur Graeca Favorini eloquentia, eruditione, lectione; ille, quippe homo in Graeco sermone adultus, Gellio duce et interprete utebatur in priscae latinitatis studiis, quibus flagranti ardore et ipse indulgebat (XVIII. 7; VIII. 2 lemma). Pertractavit igitur cum amico suo Sallustium (III. 1), Plautum (III. 3), Hyginum (I. 22. 4), Gavium Bassum (III. 19), alios deinceps multos. Unde factum est, ut postea praeter Graecae facundiae palmam Romanae quoque eruditionis non mediocrem laudem ferret Favorinus suffragante S. Caecilio Icto XX. 1. 20, immo ipse controversias de latinae linguae rebus grammaticis motas suo judicio componere auderet (I. 21. 5; III. 19. 4 al.).

Favorini amico fieri non potuit, quin facilior jam aditus esset ad *M. Cornelium Frontonem*, Marci Aurelii et L. Veri primo praeceptorem, deinde amicum, quem constat tunc Romae et in eloquentia et in grammatica ita primas partes egisse, ut pulchri venustique quasi oraculum esset aequalibus. Quem cum jam adolescentulus Gellius, 'quando erat a magistris auditionibusque obeundis otium' (XVIII. 8), interdum adisset, postea tamen sibi tam propitium habuit, ut familiariter cum Favorino eum posset adire (II. 26; XIX. 10). Cujus de ingenio et studiis si non quid omnino existimandum sit, sed aequales quid existimaverint, nunc quaerimus: Gellius quidem se unquam Frontonem adisse negat, 'quin fere cultior doctiorque ab eo redierit (XIX. 8. 1), et summa fide, quodquod illustri illi viro unquam exciderat judicium, posteritati tradendum curavit (XIII. 29. 6): eorum autem, qui in modum clientium eum salutabant, virorum eruditorum nemo non verecunde divinam ejus sapientiam admirabatur.[13])

philosophis adnumerendus, qui tum frequentes exstiterunt, qui veterum sophistarum vestigiis ingrediebantur. Quibus declamationibus sophisticis inservivit copiosa illa eruditio atque lectio, qua Fav. excellebat, quippe qui etiam de physicis rebus, historia, geographie commentationes scripserit. Cf. Fronton. epp. p. 260. Nieb. et Suidam s. v. Φαβωρῖνος.

13. Vide modo, quantis laudibus eum efferat Favorinus II. 26. 20, ille autem quam confidenter, ne moleste dicam, praeceptorem agere solitus sit XIX. 8. 3. De Frontone multa congessit Angel. Mojus in commentar. praevio ed. Mediol., quae subtiliore examine postea Niebuhrius excussit in praef. suae editionis.

Contubernales studiorumque sodales oppido paucos nominat: Julium Celsinum Numidam (XIX. 7. 2; XIX. 10) Postumium Festum (XIX. 13; Fronton. Epp. p. 214 Nieb.), qui et ipsi grammaticam profitebantur, deinde Annianum (VI. 7. 1; IX. 10. 1) et Julium Paulum (I. 22. 9; V. 4. 1; XVI. 10. 9; XIX. 7. 1), poetas eosdemque prudentes veterum scriptorum existimatores; Macedonem denique philosophum, quem in familiarium suorum numero refert XIII. 8. 4. Alios grammaticos multos sibi amicos nominare supersedit. [14]) Neque omnino quoquam videtur saepius usus esse magisque familiariter, quam Favorino.

Aetate provectus denuo Atticam petiit, ubi rusticans per longas hiemis noctes si minus absolvit, at certe inchoavit (praef. 4) commentarios suos, quos inde 'Noctes Atticas' inscripsit. Ne de priore peregrinatione haec accipienda esse existimes, monent '*pristinae* illae adnotationes' (praef. 3), quas multo ante, quam opus elimaret, dicit se coacervasse. Accedit, quod hic illic de iis rebus, quae adolescentulus egerit, loquitur tamquam de longe remotis (XV. 9; XIX. 10) et quod liberorum suorum mentionem facit in praefatione. Adjeceritne viginti Atticarum Noctium libris, quod exeunte praefatione pollicetur, deinceps alios, an praematura mors eum a consilio illo avocaverit, ignoramus neque quicquam est, quod conjecturae ansam praebeat.

De *tempore* Gellii nihildum dictum est, ne ducendis temporum rationibus perpetua oratio intercideretur. Jam primum quidem ea de re ambigi nequit, quin Gellius imperante jam T. Antonino Pio scripserit. Cum Hadrianus saepe 'divus' appelletur (XIII. 22. 1; XI. 15. 3 al.), — quod divinitatis decretum primo imperii sui anno T. Antoninus reluctanti senatui quasi extorsit [15]), — sequitur, post annum p. Chr. n. CXXXIX eos locos scriptos esse. Jam vero Herodes Atticus, qui cum T. Bellicio Torquato consul fuit anno U. DCCCXCV (p. Chr. CXLIII), inde a primi libri initio 'vir consularis' dicitur (I. 2. 1; IX. 2. 1; XIX. 12. 1); eodem titulo Fronto [16]) quoque et S. Erucius Clarus [17]) decorantur, quorum alter aut anno p. Chr.

14. I. 7. 4; V. 21; VII. 5; X. 1.

15. Cass. Dio LXX. 1; Aurel. Vict. de Caesar. 14.

16. II. 26. Cf. de Frontonis consulatu Niebuhrii rationes in praef. ad Front. p. XXII., quibus Maji commentum de duobus Frontonis consolatibus exploditur.

17. Quando primum S. Erucius consul fuerit, neque fasti consolares tradunt, neque, quantum ego scio, scriptores, nisi forte Sextus Erucius latet sub M. Erucii Clari nomine, qui consul suff. fuit anno U. DCCCLXX (p. Chr. nat. CXVIII) et anno ante Seleuciam oppugnaverat Cass. Dione teste LXVIII. 30. — Illum autem locum, ubi S. Erucius 'bis consul' appellatur (XIII. 18. 2), possit primo obtutu quispiam ita capere, quasi jam tum, cum Gellius adolescens Sulpic. Apollinarem sectaretur, S. Erucius illis honoribus fuerit ornatus. Tum vero omnes rationes misere turbarentur. Proinde tibi persuadeas, illo loco omnes honores enumerari, quos S. Erucius eo tempore adeptus fuerit, cum opus scriberetur. Immo possit inde, quod VII. 6. 12 simpliciter ille praefectus urbi, XIII. 18. 2 praefectus urbi et bis consul appellatur, non sine aliqua veritatis specie colligi, priorem locum scriptum esse ante annum CXLVI, quo anno S. Erucius consul fuit ordinarius. Quam opinionem reliquae temporum rationes si minus commendant, certe non redarguunt.

CXLIII (secund. Niebuhr.) aut proximo (secund. Majum) consulatum bimestrem gessit, alter cousul fuit cum Cn. Claudio Severo a U. DCCCXCVIII (p. Chr. CXLVI). Igitur jam hoc evincitur, scripsisse Gellium post annum p. Chr. CXLVI. Contra monent alia, ne longius ab Hadriani exitu virilem Gellii aetatem abfuisse statuamus: primum quod adolescentulus Castricium rhetorem audivit, 'a divo Hadriano in mores atque literas spectatum' XIII. 22; deinde quod Annianum, amicum suum, et alios sibi aequales dicit docentem audivisse Valerium Probum (VI. 7. 3), qui non ultra Hadriani initia vitam produxisse existimandus est; postremo quod ille ipse, quem plurimum sectabatur, Favorinus si minus ante Hadrianum [18]), quam Suidae sententiam Gellii locus II. 26 refutat, certe haud ita multo post vita excessit.

Quae temporum vestigia si computaverimus, acquiescendum videtur esse in Dodwelli calculis (Falster. l. c. p. 250), cujus ex sententia Gellii dies natalis incidit fere in Trajani, adolescentia in Hadriani, matura aetas in Antonini, obitus fortasse in M. Aurelii imperium. Sed restat aliud temporum indicium, quo quasi termino coercere posse mihi videor conjecturarum de tempore Noctium Atticarum licentiam: modo ne omnino respuantur argumenta ex silentio petita, quorum vis in diversis rebus sane diversa est. Frontonis sermones quidem referuntur a Gellio cum summa viri admiratione nonnulli, librorum tituli nulli. At quis, si Frontonis libri jam tum editi fuissent, Gellium sibi persuaserit, non delegaturum fuisse usquam lectores ad viri illius spectatissimi scripta, cum alia tum eum librum, quem 'de vocabulorum differentiis' ille conscripsit? Quidni potuerit Gellius ad Frontonis auctoritatem provocare, cum verba faceret de 'necessitatis' atque 'necessitudinis' differentia (XIII. 3) et de verbi 'locupletis' significatione (X. 5. 2), quorum locorum neutrum Fronto intactum reliquisset in libro suo? Jam vero de Frontonis 'Arione' quis censeat Gellium ne verbum quidem dicturum fuisse, cum ipse eandem fabulsm ex eodem Herodoto latine verteret (XVI. 19)? Praesertim cum vix casu acciderit, ut uterque in eadem re eloquentiam exerceret. Neque enim is est Gellius, qui ulli meritas laudes subtraxerit, nedum praeceptori tot honoribus cumulato; immo vero solet ille, sive data sive quaesita occasione, amicorum laudibus omni modo consulere. Saepenumero Tauri, Antonii Juliani, Favorini libri a Gellio laudantur et ita quidem, ut luculenter appareat hominis pietas amicorum gloriae pro viribus inservientis. — Atqui nos docuit Niebuhrius, plerosque Frontonis libros intra annos CLX—CLXVI scriptos esse, ipsum Frontonem ad annum fere CLXX vitam produxisse: ergo mihi quidem admodum probabile est, Noctes Atticas emissas non esse post a. CLX p. Chr. nat.

Quam probabilitatem auget, quod neque M. Antonini Imperatoris, viri in literis optime versati, usquam mentio fit neque Ictorum celebrium, qui illo imperante

18. Suida teste (s. v.) fuit ille: *γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Ἀδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως.*

floruerunt, neque Appiani, Pausaniae, aliorum. Quibus de causis, quae prudenter medium quendam locum inter duos illos terminos (a. CXLVI et CLX) obtinet locum, computatio Saxii, qui circa annum CL p. Chr. Gellium scripsisse sibi informavit (Onomastic. I. p. 311), proxime a veritate abesse nobis visa est[19]): quae ratio mirum quantum congruit cum loco XX. 1. 6, quo S. Caecilius cum Favorino collocutus esse dicitur 'non multo ante sexcentesimum annum post decemviros' (i. e. annum CLII)[20]). Praeterea non alienum est monere, a Gellio, ut omnino omnem, ita temporum quoque ordinem neglectum esse in distribuendis rebus; quippe II. 26 narrantur, quae matura aetate apud Frontonem, XX. 6, quae adolescentulus ex Apollinare audierit.

II.

Ad A. Gellii studia transiturus valde doleo, quod, qua par est, subtilitate et copia eum locum persequi non licet per libelli angustias. Quamquam spero, etiamsi sua cuique rei testimonia non semper adscripta fuerint, non ita temere ea affirmari et quasi decerni visum iri. Atque est sane difficilior ea quaestio, quam quae omnibus numeris absolvi possit in paucis paginis, praesertim a me, cui neque doctrina satis suppetat neque, quaecunque in diariis eruditorum a viris multo doctioribus jam exposita sunt, satis sint cognita. Quae Christianus Falster (l. c. §. V) de Gellii studiis disseruit, paene nulli usui fuerunt: est enim ea mera laudatio, quae non sine dolo malo testimoniis abutitur, ne ulla macula in Gellio relinquatur.

Si quis minus praeparatus aliorum scriptorum Gellio aequalium lectione ad illius libros tractandos accesserit, fieri non poterit, quin idem severissime, injustissime idem de illo existimet. Permulta enim, quae in Gellii scriptis offendant, ne dicam taedium moveant, non tam ipsi quam saeculo sunt attribuenda. Quapropter paucis de saeculi studiis praemissis aequiori Gellii aestimationi consulendum esse censuimus.

Quae erat illo aevo uberiorum ingeniorum inopia, studiorum jejunitas, et grammatici et philosophi et jurcconsulti, omnes denique, qui aut essent eruditi aut videri cuperent, communi studio unam laudem sectabantur, laudem dico eruditionis quam copiosissimae et exquisitissimae: proinde quasi, quantam artes liberales in tristissima omnium rerum ruina fecissent jacturam, sublevare vellent illo pacto aut certe obtegere. Nihil cogitari potest tam abstrusum, tam remotum ab omni usu vitae, quin

19. Quod Arriani dissertationes Epicteti, Suetonii Tranquilli ludicrae historiae a Gellio commemorantur, neutiquam pugnat cum nostris rationibus. De quorum aetate adeundi sunt sui cujusque editores. Suetonii videtur in Frontonis quoque fragmentis mentio fieri p. 182 ed. Nieb. — Non jam necesse est, temporis indicium repetere a Pacis templo, quod incensum est Commodo imperante (Herodian. I, 14) cf. Gell. V. 21. 9.

20. Spero enim aliis non minus facile quam mihi persuasum iri, pro septingentis annis illo loco sexcentos esse scribendos: quod non suadent, sed postulant temporum rationes.

illis temporibus inter doctos venditores et emptores invenerit: immo, nt quaeque remotissima erant, ita fiebant plurimi.[21]) Quam enixe tunc eruditi cuncti, neglectis omnibus aliis curis, πολυμαθίαν illam persecuti sint, quod aucupium doctrinae quam studium verius dixeris, illustre documentum sunt ipsae Noctes Atticae, quae sexcenta exempla nobis suppeditant ad illustrandum Antoninorum saeculum. Haud injuria Domitius grammaticus (XVIII. 7) perstrinxit in philosophos illa hominum memoria clarissimos, qui, suae provinciae immemores et quasi transfugae facti in castra grammaticorum, 'res inanes et frivolas' undique corraderent, ut ipsi jam 'mera glossaria et lexidia' essent. Intueamur enim paulisper unum alterumve ex illorum numero accuratius. Perraro Favorinus apud Gellium philosophi partes agit: plerumque deprehendimus eum docte in verborum latinorum origines inquirentem, antiquissimorum poetarum carmina perscrutantem, spinose de verborum differentiis exponentem (III. 19. 4; XVIII. 7; I. 21. 5; II. 26); Antonius Julianus rhetor non minus bene in Claudio Quadrigario quam in Cn. Matio versatus fuit (IX. 12; XX. 9); neque homines negotiis et magistratibus occupati, quae singulorum vocabulorum esset origo, quae vis, qui usus apud scriptores, quaerere et audire ex grammaticis negligebant (VII. 6. 12; XIII. 18. 2); quid quod ne poetae quidem studiis illis non minus operosis quam fastidiosis deesse volebant, veluti Julius Paulus et Annianus (XVI. 10; VI. 7. 1).

Quotiescunque unus 'de grege grammaticorum', quorum arrogantiam cum turpi ignorantia junctam salibus Gellius multis locis perfricat[22]), Ennium Plautumve recitavit vel de obscura quadam Catonis vel Naevii voce nescio quid docte alucinatus est: nunquam defuerunt, qui ei aures praeberent, iique non subrostrani aut pueri 'suspensi loculos tabulamque lacerto', verum viri graves, honoribus ornati. Quantum exercitum hominum grammaticam publice docentium solus Gellius perlustrat, quanto majorem eorum, qui studiis illis tamquam idiotae vacaverint! In media Alexandria te versari putes! Simplicitas enim vitae et hilaritas adeo tristiori doctrinae studio cesserat, ut ne epularum quidem festivitas jejuna eruditionis ostentatione vacaret. Neque in auditoriis tantum doctorumque circulis, sed etiam in foro et judiciis indulgebatur nugis grammaticis, exquisitae eruditionis copia ostentabatur: omnes denique loci constrepebant declamatorum orationibus multa doctrina conditis. Nulla coena carebat recitationibus, nulla basilica grammaticis docte altercantibus. Digni praeter ceteros profecto sunt duo Gellii loci XII. 1; XV. 1, qui hic notentur; quorum in altero incendium insulae alicujus Juliano, in altero mulieris puerperium Favorino ausam praebet, ut doctrinam suam expromant. Ad summam, ne diutius

21. Jam Seneca (de brev. vit. 13; epp. 88.) queritur de insana aequalium πολυμαθίᾳ: at vero, ex quo Hadrianus studia paene intermortua ad vitam revocavit, tam longe ulcus illud propagatum est, ut Romanae literae interno quasi morbo paulatim conficerentur.

22. V. 21. 4; XIII. 31; XV. 9; XVI. 6; XVIII. 4. 6, al.

in singulis commoretur oratio: quam plurima legisse, audivisse, meminisse; adversaria conscripta habere 'doctrinae omnigenae praescatentia': ea demum vera eruditio et liberali homine digna putabatur; qui aliam studiorum rationem sequeretur, non immerito videbatur ignorantiae accusari. Quae saeculi eruditio quo latius patebat, eo minus ad rerum primas causas et quasi fontes descendere solebat; ex omnibus artibus quasi 'flosculi' colligebantur neque tam ipsa res, quam quid de illa re dictum unquam esset, quae joca de ea viris illustribus excidissent, quos errores insulsi grammatici forte commisissent, quaerebatur atque publice docebatur.

Qualia ea adversaria fuerint, quae illo tempore homines eruditi sibi conscribere solerent, docet nos locus XIV. 6, Fronton. epp. p. 98. 141. Nieb. — Quae hucusque exposita sunt, qui ponderaverit, non poterit, quin aequius de Gellio ferat suffragium. Quem si forte saeculi erroribus, languore, jejunitate quasi contagione quadam tactum deprehenderimus (et deprehendimus sane multis partibus), non omni quidem culpa ille liberandus erit, at certe aliquatenus excusandus, praesertim cum multa sint, quibus aequalium plerisque ille praestiterit, ad optimum quemque auctorem prope accesserit. Fuit sane et ipse vagae multiplicisque istius πολυμαθίας comprobator et aemulus: atque ea reprehensio, qua castigat (praef. 12) eam 'eruditionem, quae non erudiat, sed obruat mentem', cadit in ipsum. Pervolutabat enim, quicquid forte in manus inciderat librorum, ita ut nihil sua non interesse existimaret, etiamsi, quae legeret, neque ipsi neque aliis delectationi possent esse aut usui (IX. 4. 5; XI. 17. 1; XIV. 6; X. 12).

Quae in studia quam sedula industria inde a pueris incubuerit, multifariam ipse testatur. Adolescentulus enim Romae Athenisque ita totus in literis fuerat, ut ne festo quidem Saturnaliorum die 'senum severiorum' curis valere jussis inter commilitones desiperet. Quippe Musonius ei persuaserat, '*remittere* animum quasi *amittere* esse' XVIII. 2; XVIII. 13. Eadem mente postea quoque fuit; quod cum alii loci (XVII. 2. 1; XIX. 7) tum ille demonstrat, ubi: 'quando, inquit, motandi corporis gratia aut spatiamur aut vectamur, quaerere nonnunquam apud memet ipsum soleo res parvas quidem minutasque sed ad veterum scripta penitus noscenda necessarias' (XI. 3. 1), atque altius, quo narrat, in rheda sedenti quid sibi in mentem venerit conquirere, 'ne quid aliarum ineptiarum vacantem stupentemque animum occuparet' (X. 25. 2). Adde huc quotidianas cum Favorino exercitationes, docta cum eruditis colloquia, communes in circulis virorum doctorum lectiones, grammaticorum consultationes, crebros in librariis consessus, exquisitas inter coenam recitationes, rhetorum vel grammaticorum publice docentium explorationes: habes jam primis lineamentis adumbratam hominis eruditi Antoninorum aetate florentis vitam. Quam qui ingenuo animo intuetur, non poterit, opinor, quin inter admirationem quandam atque miserationem, inter gaudium atque taedium dubius fluctuet. — Nimirum dili-

gentia illa admirabilis tam saepe ad tristitiam, jejunitatem, immo perversitatem literarum studiosos detulit, ut cum Persio exclamandum sit 'o curas hominum, o quantum est in rebus inane'!

Verum jam, quantum in singulis eruditionis partibus profecerit, perlustremus idque eo ordine, ut primo loco de aliis disciplinis, extremo de grammatica exponatur.

Ne quicquam relinqueret, quod 'nunquam attigisse homini liberaliter erudito turpe esset' (XVIII. 10), horis subsecivis, ut ipse ait, etiam de *medicorum, physicorum, mathematicorum* libris degustabat: cujus lectionis messem cum lectoribus communicat XVIII. 10; XVIII. 11; XVI. 3 — XVI. 18; XVI. 15; I. 20. Quamquam ipsi illi loci satis produnt, eum in primis artium istarum initiis haesisse. Neque omnino id egit, ut perfecte illas quaestiones perspiceret; plerumque definitiones quasdam eruditorum vel lepide dicta enarravisse satis habuit.

Idem fere statuendum erit de *historia*. Nam ut optime versatus fuerit in rerum scriptoribus utriusque linguae, ut egregie de arte historiae exscribendis permultis rerum scriptorum locis meruerit: tamen multa indicia docent, eum ultra singularum rerum confusam varietatem vix quicquam requisivisse. Immo vero sibi providendum esse putavit, 'ne in sermonibus forte inconspectum aliquid super aetate atque vita clariorum hominum temere diceret', quod docemur loco ad hanc rem illustrandam maxime idoneo XVII. 21, ubi ingenue confitetur: 'nunquam sibi negotium fuisse, ut acri atque subtili cura excellentium hominum συγχρονισμούς componeret.' Ibidem multa pro novis vendidat, quae admodum trita sunt.

In *philosophia* multum ille quidem operae jam adolescens Athenis collocaverat. A Calvisio Tauro ad Aristotelem et Platonem deductus, diu videtur in illis studiis defixus fuisse. Bonam partem librorum utriusque philosophi cum Tauro accurate pervestigaverat, ita ut postea permultos eorum locos ad verbum memoria teneret. Singulari studio imbiberat Platonis doctrinam, ut in omnibus ejus dialogis quasi habitaret; Aristotelis eos tantum libros accuratius pertractaverat, nisi fallor, qui res physicas vel variam eruditionem continent. Praeter hos nemo est fere antiquorum philosophorum, Graecorum certe, quem non attigerit. Quantam inde messem retulerit, apparet ex sexcentis iis locis, ubi inquirit in res e philosophia petitas. Tamen negari non potest, sermonem ejus perraro diutius in subtilioribus quaestionibus immorari, plerumque deflectere ad narrandas philosophorum vitas, controversias, acute salseque dicta, captiones, mutuas altercationes: solet enim, ut spinosa disputationum dumeta effugiat et fatigatum lectorem denuo sibi conciliet, ea arte uti, ut talibus 'historiolis' quaestionis filum intercidat. — Commendat ille quidem copiose dialecticae studium, cui ipse quondam vacaverat (XVI. 2), ea tamen lege, ut ne nimis quis ei indulgeat: 'periculum enim esse non mediocre, ne in illis dialecticae gyris atque

maeandria tamquam apud Sirenios scopulos consenescas.' Simile 'inutilium' meditationum fastidium deprehendimus V. 16, ubi ingenue Gellius laudat Enniani Neoptolemi illud: 'degustandum esse de philosophia, non in eam ingurgitandum.' Jam vero loco V. 15. 9, ubi negat, se in illis 'argutae delectabilisque desidiae aculeis' videre 'aut emolumentum solidum ad rationem vitae pertinens aut finem ullum quaerendi', quis non agnoscit hominem Romanum? Quamquam neutiquam caruit eo, quo opus est ad excutiendas res subtiliores, acumine, quod probant loci II. 7; II. 8; V. 10; XVI. 2. — Quantum ad ipsam doctrinam, totus pependit ex Favorino Tauroque magistris, quorum sermones verecunde auribus calamoque excipiebat. Atqui illi ipsi in arctissimis finibus philosophandi se continuerunt; ante omnia principum philosophorum libros accurate tractaverunt, discipulis explicaverunt; deinde tralaticio more disseruerunt de iis quaestionibus, quae tunc a diversis philosophorum factionibus multum vexabantur (veluti de officiorum gradibus, de bonorum finibus, de affectibus, de fide sensibus intelligentiaeque tribuenda, de veri regulis etc.). Summa vero controversia videtur tunc fuisse de Stoicorum ἀπαθείᾳ, qui locus saepe copiose exponitur a Gellio (XII. 5; IX. 5; XIX. 1; XIX. 12; XVIII. 1. 4). Praeterea omnes sectae conjunctis viribus bellum gerebant cum grege pseudophilosophorum, qui, barba et pallio speciosi, 'umbras verborum inanes fingerent' (XIII. 24), 'mores et emolumenta philosophiae in linguae verborumque artes converterent, ipsi ignavi ac desides, intercutibus vitiis madentes' (XIII. 8. 5). Multi sunt ea in re Herodes, Taurus, Favorinus (X. 22. 24; XVII. 19; I. 2 al.); Gellius quoque vehementer in ebrium quendam adolescentem invehitur, qui Platonis auctoritate abusus erat (XV. 2). Atque omnino si minus alia, ea certe laude ille ornandus est, quod philosophiae sanctitatem pie reverebatur. — Quantum historia philosophiae Gellio debeat, meum non est exponere, cum de studiis ipsis hic dicendum sit, non de eo fructu, quem nostri homines inde ceperint.

Ad *jus civile* accuratius noscendum Gellium primo judicis officium perduxerat (XIV. 2. 1); postea etiam antiquarii quaedam curiositas in illo studio eum retinuit. Neque enim potuit antiquorum scriptorum interpres eo adminiculo carere. Quantum in eo elaboraverit, ut quam accuratissima legum, edictorum, monumentorum notitia instructus esset, ut rationem quoque juris atque civilium actionum ex Masurii Sabini, Ateji Capitonis, Aelii Tuberonis, Antistii Labeonis commentariis peteret, uno in conspectu ponit index legum et monumentorum, qui editionibus adjici solet. Quantum autem in jure profecerit, non is sum, qui erudito judicio aestimare possim: neque opus est, cum Dirksenius ea de re jam docte disseruerit.[23])

Sed mittimus jam polyhistorem, ut ad *grammaticum* transeat oratio. Quas

23. *Dirksen* in actis academ. Berol. 1851. Qui praeter illum a Bernhardio commemoratur liber *Julii de Gloeden* (Gellii quae ad jus pertinent, Rosl. 1843) mihi ad manum non fuit.

hncusque perlnstravimus disciplinas, degustaverat illas quidem 'horis subsecivis' (XVIII. 10. 8) Gellius, ita tamen, ut plane in aliorum auctoritatibns decretisque acquiesceret. Longe secus est in grammatica. In aliis studiorum generibus peregrinabatur, in grammatica quasi civitatem acceperat: grammaticam autem hic non eo sensu dico, quo nostri homines, sed latiore illo, quo antiqui homines eo verbo usi sunt, ut praeter interpretandi artem linguaeque praecepta omnium earum rerum scientiam comprehendat, qnae interpretationi inserviant.[24])

Perpauci sunt, quibus in grammatica praeceptoribus usus est, — Apollinaris, Fronto, Favorinus, — verum ii in suo quisque genere praestantissimi. Praeter illos constat ei aequales fuisse Postumium Festum, Celsinum Numidam (cf. p. 7); Terentium Scaurum (XI. 15. 3) Aelium Melissum (XVIII. 6) aliquanto natu majores. De Caesellii Vindicis aetate adhuc controversia est.[25]) Num aliqua consuetudo inter viros illos atque Gellium intercesserit, ignoramus; verum id sexcenti loci confirmant, quam 'volutatus' fuerit ut omnino in grammaticorum Romanorum, ita in illorum libris. Nam vix quisquam est nobiliorum quidem grammaticorum, quem Gellius non attigerit, ita ut paene continua grammaticae Latinae historia ex solis Noctibus Atticis duci possit. Graecorum grammaticorum non memini, me praeter Hypsicratem et Aristarchum[26]) cujusquam nomen legere.

Ac principem quidem locum sine dubio *Varroni* concessit, cujus copiosam eruditionem cum snbtilitate conjunctam tantopere admiratus est, ut nulla magis quam illius auctoritate moveretur. Quanti eum fecerit, maxime illustrant loci I. 18. 6; X. 1. 4 al. Secundum illum plurimi ei fuit *Nigidius Figulus*, 'homo, ut ipse judicat IV. 9. 1, juxta M. Varronem doctissimus', cujus 'commentarios grammaticos' saepissime exscribit. Deinde multum tribuit *Valerio Probo*[27]) (IX. 9. 12), cujus multas sententias posteris tradendas curavit, *Gavio Basso*, C. Julio *Hygino*, M. *Verrio Flacco*, M. Tullio *Tironi*, aliis multis, quos enumerare longum est. Quorum auctoritatibus adeo addictus fuit, ut hic illic nimis illis obtemperare videatur. Erat enim omnino tam singulari modestia[28]), ut saepe parum sibi confideret, nimis cunctanter suam sententiam profiteretur, timidius reprehensionibus uteretur (qnibus plerumque quasi honorem praefari solet), effusius denique landaret. Neque tamen adeo

24. Cf. Cic. Orat. I, 43; Sen. epp. 88. 3; Quint. Instit. I. 4. 1, deinde I. 2. 14, ubi grammatici esse definitur 'de loquendi ratione disserere, quaestiones explicare, historias exponere, poemata enerrare.'

25. Sunt enim, qui Augusti temporibus Caesellium vixisse contendant. Cf. Baehrii Hist. lit. Rom. II. p. 590. not. 5.

26. XVI. 12. 6. — II. 25. 4; XIV. 6. 3. Nequa tamen ipse Hypsicratam videtur legisse, nedum Aristarchum.

27. Acceperat illa Valerii Probi judicia, — ipse enim virum non audiverat, — praesenti sermone ab amicis, velnti ab Anniano VI. 7. 3 al. — Cf. de illo I. 15; IV. 7. — Macrob. Sat. V. 22.

28. Cf. X. 22. 3; XI. 6; XI. 16; XIV. 2. 25; XVII. 6. 11.

in illorum verba juravit, quin interdum etiam summis viris repugnaverit: dissentit enim a Varrone (I. 18. 5; I. 25. 3 al.) a Sulpicio Apollinare (II. 16. 10; XII. 13. 21) a Nigidio Figulo (III. 12. 1; XV. 3. 5): quos locos ideo adscripsi, quia omnes fere multum valent ad cognoscendum viri animum; in alios vehementius invehitur, veluti in Caesellium Vindicem (VI. 2; III. 16), Cloatium Verum (XVI. 12. 6); maxime autem in vulgus 'noviciorum semidoctorum, ἀγοραίων, male literatorum', quorum multi, praesertim si forte iidem arrogantes fuerint, misere castigati et risui dati discedunt.[29])

Atque potuit sane magis suo judicio confidere, quippe quod neque per se infirmum esset neque parum exstructum ea, qua opus est, doctrina.

Nam primo loco suppetivit ei summa et vere singularis scriptorum antiquorum cognitio: quod facile intelligitur, modo reputaveris, quod in auctorum indice, qui accuratissimus exstat in Hertzii editione, ducenti septuaginta quinque auctores enumerantur, quorum nomina occurrant in Gellio.[30]) Neque tamen in legendo acquiescere solebat; lecta meditabatur sive, ut ipsius verbo utar, 'ruminabatur' et exercendae memoriae causa secum recolebat (XVII. 2; XIX. 7); Graecorum (inprimis Platonis) locos splendidos eloquentiae 'extundendae' causa in patrium sermonem transferebat (XVII. 20. 8; XVIII. 3; XX. 5. 13); Romanorum obscuriores locos et peculiarem uniuscujusque dicendi usum commentariolis persequebatur (XVII. 2); remotissimorum verborum origines secum 'rimabatur.' Atque tantum abfuit, ut in ejus generis quaestionibus superficiem rerum attigisse satis haberet, ut vel propter singula quaedam vocabula multa volumina evolveret (XIX. 16) aut grammaticos spectatos adiret (III. 16. 15). Quam subtili diligentia in enodandis ejusmodi quaestionibus versari soleat, documento sunt loci XIII. 13. 15; XV. 6; 30; XII. 14. 4; XVIII. 4. 11; quam sobrie ad minutas quoque res animum attenderit, luculenter eo illustratur, ut pauca

---

29. V. 21. 4; XV. 9; XIII. 31; XVI. 6.

30. Quantae amplitudinis Gellii studia fuerint quantaeque varietatis, ut aliquatenus perspiciatur, numerorum testimonio uti visum est. Quodsi exclusis iis, quorum sententias aut nullas attulit aut suis verbis Gellius expressit, eos solos auctores numeramus, quorum loci Noctibus inserti sunt, occurrunt legentibus apud Gellium, nisi falsus fui in numerando, *Romanorum:* poetae XXX, rerum scriptores XIX, oratores cum epistolarum scriptoribus XXII, Icti XVIII; grammatici XXVIII. *Graecorum:* poetae XIX, rerum scriptores XI, philosophi XX, oratores III, grammaticus nullus. Ex illorum numero, quorum saepius locos eosque interdum longiores laudat, hi fere sunt; R o m a n i: „*L. Accius, Caecilius, Ennius, Laberius, C. Lucilius, Lucretius, Naevius, Plautus — Q. Claudius Quadrigarius, Q. Fabius Pictor, Cornelius Nepos, C. Sallustius — M. Porcius Cato, M. Tullius Cicero — Antistius Labeo, C. Atejus Capito, Masurius Sabinus, Aelius Tubero — Aelius Stilo, Caesellius Vindex, Gavius Bassus, P. Nigidius Figulus, Varro, M. Tullius Tiro — C. Plinius Secundus*“; G r a e c i: „*Homerus, Hesiodus, Euripides, Aristophanes — Herodotus — Aristoteles, Plato, Plutarchus, Theophrastus, Chrysippus, Panaetius — Demosthenes.*“ Intelligitur ex hac tabula, quos potissimum scriptores dignos ille judicet, qui legantur et auctores adhibeantur; num prudenti in habendo eo delectu judicio usus sit, infra quaerendum erit.

exempla proferam pro multis, quod pares similesve versus, qui apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem legerentur, ipse nonnullos deprehendit (XIII. 19); deinde quod subtiliter leves Tironis, Ciceronis, aliorum multorum errores investigavit[31]), similia. — Eandem subtilitatem ibi agnoscimus, ubi, ne temere quid decernat, judicium suum cohibet II. 19. 3; II. 22. 31 al. Deinde ea de re ambigi nequit, quin adversariis commentariisque amplissimis in opere scribendo usus sit, quae singulorum auctorum usum complecterentur, sive ipse ea sive alii[32]) collegerant. Nam ut tenacissima memoria fuerit[33]), quis memoriter eum tot testes citavisse, tam diversa in promptu habuisse sibi animo informare possit? Praeterea pluribus Gellii locis facile reperiuntur talium commentariorum vestigia, cf. XVIII. 7. 8; XII. 15. 1; VI. 9.

Sed jam videamus, in singulis artis grammaticae partibus quomodo officio suo functus sit. Ac primum quidem, quod quasi fundamentum interpretationis est, intelligenti judicio ille ex vetustate, scripturae diligentia, aliis indiciis librorum MSS. fidem solet ponderare; corruptorum exemplorum auctoritatem detectis mendis infringere; temerarias emendationes librorum bonorum testimoniis comprimere. Cujus diligentiae documenta exstant IX. 14; I. 7.[34]) — Accessit porro singularis pro temporibus illis rerum grammaticarum scientia et intelligentia. Nam quod eam artis illius partem, quae quasi finitima est philosophiae ideoque rationalis dicitur, prorsus incultam reliquit, non est, cur miremur; videlicet Romanus fuit neque adeo a popularium moribus et disciplina defecerat, quin cum Frontone senserit: 'quaeri ista omnia et extundi ab hominibus negotiosis in civitate tam occupata non possunt' (XIX. 8. 14). Sintne φύσει an θέσει variae gentium linguae ortae (X. 4); valeatne ratio in linguis an arbitrium consuetudine sancitum (II. 25); quae peculiaris sua cujusque

31. XIII. 9. 6; XV. 6; IV. 11. 10.

32. Mature Ennium, Lucilium, Plautum suos interpretes reperisse, praeter alios Suetonius docet in vitis illustr. gramm.; Imperatorum temporibus Paulus et Maximus Statilius traduntur in Coelio, Catone, Sallustio; Hyginus Terentianus Scaurus, Valerius Probus in Virgilio, alii in aliis scriptoribus explicandis elaboravisse; priscae autem latinitatis copiae congestae fuisse videntur in Nigidii Figuli, Velii Longi, Caesellii Vindicis commentariis. Quibus omnibus fortasse aliquam doctrinae suae partem debet Gellius. — Quam copiosa adversaria Fronto collecta habuerit, docent fragmenta ejus p. 98. 117. Nieb.; Marcus autem Caesar, qui Frontoni hac quoque in re morem gessit, ipse scribit: 'se per hos dies ex libris sexaginta in quinque tomis excerpta fecisse' ibid. p. 62. Nieb.

33. Vigebat sane memoria; non raro enim etiam longiores locos memoriter scribae dictavit X. 3. 9; XI. 15. 7; XIII. 19; XX. 10. 4; unde manaverunt quidem aliquot in verbis errores, verum ii neque multi neque graves.

34. Erunt fortasse, quorum intersit reliquos quoque Gellii locos, ubi codicum auctoritates adhibeantur, collectos habere, quorum in usum proxima adjeci. Commemorantur Ciceronis libri MSS. I. 7; I. 16; IX. 14; XII. 10. 6; XIII. 21. 17; Sallustii IX. 14. 26; XX. 6; Catonis II. 14; Ennii XVIII. 5. 11; Varronis XIII. 31. 6; Livii Andronici XVIII. 9; Catulli VI. 20. 6; Q. Claudii IX. 14. Gravissimus locus de Virgilii idiographo legitur IX. 14. 7; alius de Ciceronis libro 'spectatae fidei Tironiana cura atque disciplina facto' I. 7. 1. — De similibus Frontonis curis cf. epp. p. 210. 46. Nieb.

vocabuli sit vis atque notio generalis (VI. 17; XI. 3), similia tamquam nugas ad usum vitae nihil pertinentes parvi facere solet et sicco, ut ajunt, pede transire. At vero quae de vocabulorum formis, figuris, terminationibus; de propriis singularum disciplinarum formulis; de scriptorum usu et sermone exponuntur, pleraque tam subtili observatione, tam exquisita doctrina scripta sunt, ut multa inde nostri grammatici in suum usum converterint. Ex ingenti numero locorum paucos quosdam eligo, qui prae ceteris locupletes et utiles esse videantur: IV. 16; IX. 14. 25, ubi agitur de genitivo quartae in *uis*, quintae in *es* exeunte; XIII. 26; XIV. 5 de vocativi forma et accentu; IV. 9. 12; XI. 15 de adjectivis in *-osus* et *-undus* desinentibus; VI. 9 de eorum verborum ratione, quae praeterito tempore primam syllabam geminant; XV. 13; XVIII. 12 de verbis promiscue in agendi et patiendi forma usurpatis; IX. 12 de verbis reciproca significatione in utramque partem dictis; XIX. 8 de nominibus, quae singulari numero careant, I. 7 de infinito futuri temporis modo, qui hic illic nullo generis discrimine reperiatur, similibus.[35]) In tanta copia quaestionum accurate sciteque tractatarum facile veniam impetrabit, si quae minus probabilia probandave in eo occurrerint; exempli causa loco XIII. 21 (de tertiae declin. accusativis in *im* et *is* exeuntibus), ubi sine dubio aurium judicio nimium concessit; V. 21, ubi parum firmis argumentis suasit, ut *pluria* potius quam *plura* scriberetur[36]); XX. 6, quo loco genitivos *vestri* et *vestrum* perperam confudit[37]); I. 7. 17; XV. 14; XVII. 2. 11, ubi parum caute insolentiores Latinorum vocabulorum figuras Graecae linguae usu non explicavit sed defendit. — Magis etiam diligens fuit in illustrando proprio atque sincero vocabulorum usu: in quo bene perspexerat multo tutius ad id, quod verum est, accedi observando auctorum usu quam vel ingeniosissimis verborum enodationibus. Quapropter saepenumero Nigidii Figuli (XV. 3. 4; XII. 14; X. 5), Verrii Flacci (XVI. 14. 3), Cloatii Veri (XVI. 12), aliorum de verborum originibus temeraria commenta vehementer explosit, quin etiam Varroni, quamvis illi quidem satis verecunde, in eadem re oblocutus est (I. 18. 5). Quamquam alia ejus generis tacita assensione comprobavit, quae sanequam insulsa sint. Quid quod ipse interdum in verborum veritatem inquisivit et ita quidem, ut viri sanum judicium plerumque desideremus. Sed cui hic non in mentem venit Quintiliani illud de talibus alucinationibus (Instit. oratt. I. 6. 37): 'cui non post *Varronem* sit venia?[38]) — Multo melius pro-

35. Metricas quaestiones Gellius saepe attingit, raro copiose persequitur. Vide locos II. 17; IV. 17; VI. 7; 10; 20; VII. 15; IX. 6; XII. 3. 4; XIII. 26; XVIII. 15. Quae de caesura (XVIII. 15) atque de hiatu (VI. 20) docet, non plane sufficiunt; optime autem de nobis meruit notandis et verborum accentibus (VI. 7; XIII. 26) et syllabarum earum, quae in versibus propter sequentes consonantes pro longis sunt, propria natura. Quid omnino de his Gellii curis existimandum sit judicare metricis relinquo.

36. Cf. Kruegeri, Gramm. Lat. §. 196. not. 1.

37. Cf. eundem grammaticum §. 406. not. 2.

38. II. 6. 20 *squamas* Gellius appellatas esse docet a *squalendo*; XIII. 10 *sororem* a *seorsum nascendo*; XVI. 14 *festinare* a *fesso*; V. 8. 10 *lituum* a Graeco *λίγγειν*; quin adeo I. 25

fecto eo meruit, quod accuratissime in permultis vocibus incorruptum scriptorum usum, ab imperitorum abusu prudenter distinctum, persecutus est, ut de nonnullis omnem controversiam composuerit. Quae de vocabulis: *'maturus, putare, bidens,* de particula *atque,* de *benefico* atque *liberali, levi* atque *nequam, historiis* atque *annalibus,* de *vestibulo, matrona, facie, praeda'* etc. apud eum disseruntur [39]), non ea quidem omni ex parte rem conficiunt, sed raro reprehendendi ansam praebent, ut non tam corrigenda quam explenda fuerint nostratibus. Atque omnino in eo summa Gellii virtus fuit, nisi fallor, quod latinitati castae et ad antiquorum auctoritates exactae summa industria consuluit, verbis 'a recta consuetudine deflexis atque depravatis' proprium sensum usumque denuo vindicavit (XV. 5. 1; XIII. 30. 1): quod ejus studium eatenus prospere successit, quatenus illi ipsi, quibus utitur, scriptores incorrupte simul et urbane locuti sunt. Qua de re pluribus dicendum erit infra.

Tot interpretationis adminiculis nisus multis sane locis Ciceronis, Sallustii, Lucretii, Plauti, Virgilii lucem attulit, cum modo rem obscuram illustrarit, modo verba injuria ab emendatoribus petita defenderit (II. 6; II. 16—VII. 6. X. 26 al.), modo figuras ab indoctis perperam explicatas scite enuclearit (VI. 2; V. 8; I. 16; I. 7. 17 al.). Quem locum vellem uberius persequi possem: neque enim infitias eo, grammatico Gellio me aliquantulum delectari, ut saepe mihi dolendum visum sit, quod ille, qui in ejusmodi quaestionibus tam prudenter omnia momenta ponderet, studia sua non in grammatica continere, quam πολυμαθίαν istam aucupari maluerit.

Verum jam veritas ipsa clamat, ut ad lumen umbra, ad laudem accedat reprehensio quaedam; neque enim aeque ac Christianus Falster ejus admiratione captus sum, ut omnibus nominibus praedicandus mihi videatur. Merito ac jure, opinor, Gellii doctrina, diligentia, subtilitas laudatur; longe secus existimandum est de ea, qua in scriptorum delectu agendo ille usus est, judicandi regula: in quo omnis reprehensionis cardo vertitur. Sed cum ea considerate dijudicari non possint, nisi, quale omnino saeculi judicium fuerit, penitus perspiciatur, altius oratio repetenda est.

Satis notum est, ne Ciceroni quidem, cum ille etiam viveret, suos obtrectatores defuisse, quorum alii aliud, non pauci id in eo reprehenderent, quod repudiata antiquorum scriptorum simplicitate, adstricta brevitate novum dicendi genus, molle et delicatum, sequeretur; qui objurgatores tam pertinaciter causam suam egerant, ut illi, ne de gradu prorsus dejiceretur, prospiciendum esset; quare saepe et aperte et per ambages suam eloquentiam Cicero defendit ab eorum criminibus, quibus semper in ore esset istud: 'non erat hoc apud antiquos.' [40]) Neque Imperatorum tempo-

indutias a formula *'inde uti jam'* [sc. pugnetur]. Quae inventa a Nigidii et Varronis portentis prope absunt.

39. X. 11; VII. 5; XVI. 6—X. 29—XVII. 5; VI. 11; V. 18—XVI. 5; XVIII. 6; XIII. 30; XIII. 25.

40. Orat. 168. 171; 229; Quint. X. 1. 43; dialog. de oratt. 18; 22.

ribus ea factio obmutuit, quin immo aucta est. Exstiterunt Asinii illi, quorum qui natu major fuit, ita Pacuvium et Accium orationibus suis expressit, ut praeter omnem modum durus atque siccus fieret; minor etiam librum scripsit 'nefando Ciceromastigis titulo'[41]); exstiterunt alii, quos merito M. Aper in dialogo de oratoribus c. 21 compellavit, qui 'Lucilium pro Horatio, Lucretium pro Virgilio legerent, quibus eloquentia Aufidii Bassi et Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordere videretur.' Omni scilicet eloquentiae nitori et cultui opposuerunt isti 'aridi' sermonis laudatores 'sanitatem' suam, quam 'non firmitate sed jejunio consequebantur.'[42])

Jam posteaquam summa rerum venit ad *Hadrianum*, qui antea singuli fuerant, instructo agmine contra 'novicios oratores' pugnare coeperunt antiquorum laudatores; ille enim, ut erat 'varius et multiplex', cujuslibet laudis aemulus, importunus pulchri venustique arbiter fastidiosusque, denique eo delatus erat, ut Spartiano teste 'genus dicendi vetustum amaret, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium praeferret.'[43]) Quid mirum, quod illico omnes grammatici in ea castra transfugerunt? 'naturalem enim eloquentiam et robur viris dignum in aliis nullis esse, quam in antiquis.'[44]) Exstitit secta 'antiquariorum', quorum studia quasi in artem redegit ille ipse *M. Cornelius Fronto*, qui Gellii Favorinique familiaris fuit. Qui cum T. Antonino imperante tantam nominis celebritatem adeptus esset, ut pro perfecto eloquentiae grammaticaeque exemplo omnibus, etiam Lucio et Marco Caesaribus esset: factum est, ut antiquariorum factio, ex disciplina ejus nata, *'Frontonianorum'* nomine appellaretur.[45]) Fuit autem id Frontoni propositum, ut repudiata cum Graecorum sophistarum eloquentia molli diffluentique tum Afrorum tumida inflataque ad sanam simplicitatem et incorruptam latinitatem cives revocaret et antiquissimorum scriptorum studium iis commendaret, quippe qui soli digni essent, ad quos sermonis sincera puritas exigeretur. Consilium probum profecto et utile, ni omni pulchri venustique sensu, immo sano judicio Fronto caruisset! Neque enim equidem dubito, quin Niebuhrius, licet in objurgando aliquantulum veritatis lineas transierit, jure et merito istud 'Romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus' gloriola, perversitate saeculi in eum collata, spoliaverit.[46]) Fronto igitur ita fere de scriptoribus Romanis existimavit: sub Augusto consenuisse, sub Tiberio extabuisse elo-

41. Dialog. de oratt. 21; Gell. XVII. 1. 1.
42. Dialog. de oratt. 23.
43. Spartian. vit. Hadrian. 16; ibid. 14. Victor jun. epit. 14.
44. Quint. Instit. orat. X. 1. 43.
45. Sidon. Apoll. epp. I. 1.
46. *Niebuhr*, 'Kl. histor. Schriften' I. p. 326; II. 52; in praef. edit. Front. p. VII. XVII; *Bernhardy* in hist. lit. Rom. p. 699. 86. 87; *Westermann* in hist. eloq. Rom. §. 89; *Krause* in libro suo de Graec. et Roman. educatione et institutione p. 366. not.; *Baehr* in hist. lit. Rom. II. p. 394 sqq. Frontonis laudatio cupidissima legitur in *A. Maji* commentario praevio ad editionem Mediolanensem 1815.

quentiam Romanam (p. 83 ed. Nieb.); 'radicitus subvertendam esse *confusam* istam eloquentiam, quae partim igneis (ligneis. B.) Catonis nucibus partim Senecae mollibus et febriculosis prunulis insita esset' (p. 122); revertendum esse ad verba 'apta et propria', ad 'monetam veterem' (p. 130); 'appingendum esse orationi colorem vetusculum' (p. 89), similia.[47] — Neque in familiaribus illis, qui exstant apud Gellium, sermonibus Fronto a se deficit, quamquam saniore ibi plerumque utitur, quam in ipsius scriptis, judicio. Nam postulat ille quidem, ut puri sermonis exempla 'dumtaxat e cohorte illa antiquiore' petantur, petitque indidem ipse sua (XIX. 8. 15; 10. 10): verum sobrii judicii documenta sunt, quae ille de C. Caesaris sermone (XIX. 8. 3) et de Claudii Quadrigarii quibusdam verbis judicat (XIII. 29. 3); quo posteriore loco etiam modeste addit: 'nisi me scriptoris istius omnisque antiquae orationis amor atque veneratio caeco esse judicio facit.'

Sic Fronto; non multo secus ceteri, quos Gellius inducit, eruditi. Praetereo, quod pariter omnes, cum idiotae tum grammatici, in antiquissimis scriptoribus mirum quantum versati, quod Ennius, Naevius, Cato, Plautus in omnium ore erant[48]; sunt enim loci, ubi certissimis indiciis Frontonianos agnoscamus. — Cum Anacreonte Graeco quem conferret, Antonius Julianus, idoneus sane auctor, neminem reperit Romanorum — praeter Valerium Aedituum, Porcium Licinum, Q. Catulum (XIX. 9. 10). In tanta oblivione summos poetas jacuisse! — Nonnulli jam eo progressi erant perversitatis, ut vel in communibus sermonibus, in foro et judiciis verbis 'obsoletis diu et exculcatis' uterentur (V. 21. 6; XI. 7. 4; XVI. 9. 2). Quod communium vocum sobriique sermonis fastidium etiam ad adolescentulos propagatum erat, quorum unum Favorinus gravissime increpat I. 10: 'quod, proinde quasi cum matre Evandri loquatur, sermone utatur abhinc multis annis jam desito; vivendum potius esse moribus praeteritis, loquendum verbis praesentibus.' Prudenter ille et salse; atque omnino etiamtunc erant, qui verba ista vetustatem olentia et 'auctoritates ex Faunorum Aboriginumque saeculo repetitas' respuerent (V. 21. 7): verum ii plerique ex grege indoctorum et omnes Frontonianis impares.

Quid mirum igitur, quandoquidem omnes, qui aliquo numero essent, eruditi ab antiquariorum partibus steterunt, quod Gellius quoque ad eam doctrinam inclinavit, praesertim cum idem ipsi Frontoni familiaris esset et summa admiratione addictus? Agnoscimus autem Frontonis discipulum vel ex scriptorum delectu. Eosdem fere, quos ille, Gellius quoque summo loco habet auctores; frustra requiris in

47. Ad coelum Fronto extulit: Catonem, Scipionem, Ennium, Accium, Plautum, Lucretium, Sallustium, denique Ciceronem (p. 134. 84. 46. 252), ita tamen, ut illum si minus inferiorem, certe non praestantiorem antiquissimis illis judicaret (p. 84). Virgilii, Horatii, Plinii, Quintiliani nulla usquam fit mentio; Seneca Lucanusque etiam invidiose castigantur (p. 123 sqq.). Luculentissime Frontonis de singulis auctoribus judicium elucet e fragmento ed. Rom. p. 95 (Epp. IV. 3).

48. I. 7. 4; V. 21. 2; VI. 7. 1; XIX. 7. 1 al. Cf. praef. supra p. 7 init., 10 sqq.

tanta scriptorum frequentia: *Tibullum, Propertium, Ovidium, Lucanum, Silium, Valerium Flaccum, Martialem, Juvenalem; — Livium, Vellejum, Tacitum, Plinium minorem, Quintilianum.* Ut paucis dicam, adeo ii, qui inde a Caesaris tempore floruerunt, scriptores, negliguntur, ut semel *Horatius, Valerius Maximus, Seneca*[49]), bis *Suetonius,* obiter ter *Catullus,* aliqnoties *Cornelius Nepos, Plinius major*[50]), saepius soli grammatici, oratores, jureconsulti commemorentur. Verumenimvero, ubi incorrupta latinitas agitur, praeter *Sallustium, Caesarem, Varronem, Virgilium, Ciceronem* neminem illorum dignum existimavit, qui pro exemplo et norma dicendi esset. Eo plus antiquissimi cujusque scriptoris auctoritati tribuit: ex illorum scriptis plurima testimonia repetuntur, inde potissimum dicendi leges, vocabulorum significationes eruuntur[51]); vel potius omnes omnium temporum auctores temere confunduntur, quasi idem semper fuerit linguae usus et habitus; orationes ad amussim elimatae, atellanarum liceutia; horridi priscorum vatum versus, novorum poetarum carmiua omni munditia et nitore exornata; prisca, antiqua; nova, novissima parum discernuntur et ad tempora digeruntur.[52]) Unde fit, ut hic illic Gellius, quae parum cum emendata latinitate convenire videantur, approbet, quin etiam commendet[53]): quae levitas eo magis offendit, quo scrupulosior esse solet in examinandis novis vocabulis (XVI. 7; XIX. 13. 3; XI. 7. 2).

Neque porro negari potest, Gellium quoque inepto isto saeculi priscorum vocabulorum aucupio, communium fastidio quasi contagione quadam tactum fuisse; quod et totus sermo ejus et singuli loci docent. Quis teretes urbani existimatoris aures non desiderat loco XIX. 7. 2, ubi ea verba ex Laevii Alcesti notat, quae a prosae orationis usu non abhorreant? Quis non offenditur loco praeter ceteros ad illustrandum id, quod agitur, idoneo XVII. 2? — Quid autem causae fuit, ut *frunisci* quam *frui, sanctitudo* quam *sanctitas, in Gallos* quam *contra Gallos* dicere mallet? Nimirum, quod illa 'mundiora et subtiliora, haec pinguiora et obsoletiora' essent

49. De Seneca existimatores dicit (XII. 2) in diversas partes discedere, quorum alii orationem ejus 'vulgarem' judicent, 'eruditionem vernaculam neque quicquam ex veterum scriptis habentem neque gratiae neque dignitatis', alii severitate et gravitate ejus delectentur; utique explodenda esse, quae illa 'homo nugator' et 'insubidus' de Ennio judicaverit, neque omnino adolescentibus commendari posse eum, qui 'honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis compararit.'

50. Plinium, quo quater auctore utitur, aequius profecto aestimavit quam Senecam (IX. 4. 13), quamquam eo, quod libros illius 'non medius fidius usquequaque aspernandos' esse dicit (IX. 16. 3), parum honoris, opinor, ei tribuit.

51. Numerat enim inter eos, qui 'caste, proprie, signate' latina lingua usi sint: *Scipionem* II. 20. 5; *Ennium* XII. 4. 3 al.; *Q. Metellum Numidicum* XVII. 2. 7; *Lucilium* XVIII. 5. 10; I. 21. 5; inprimis *Plautum,* 'hominem linguae atque elegantiae in verbis latinis principem', V. 17; XIX. 8. 6 et *Catonem*, cujus et sermonem et facundiam a Tironis vituperatione tuetur VI. 3. 1. Multo minus urbano *Terentio* tribuit, qui quatuor tantum locis sine ulla laudatione ad testimonium vocatur.

52. II. 6. 6; IX. 2; IX. 14; X. 13; X. 24 al.

53. XVII. 2. 5; V. 21; XVIII. 12; XV. 13.

(ibid. 12). Nihil enim erat, quod magis aures ejus permulceret, quam 'umbra et color opacae vetustatis' (X. 3. 15; XII. 4. 3): cui tantum indulsit, ut etiam 'sole occaso' figuram probaret, 'quia non insuavi vetustate esset' (XVII. 2. 10).

Nihilominus ea laus Gellio debetur, quod multo magis quam Fronto, (quatenus virum novimus), istam suam antiquitatis admirationem judicio moderatus est. Cum Fronto Virgilium ne brevissima quidem laudatione dignetur, Ciceronem eodem loco, quo Catonem Gracchumque numeret [54]): Gellius Virgilium ut 'poetam verborum diligentissimum' (II. 26. 11) fere sexto quoque capite laudat, in Cicerone vero non solum orationis 'lucem, amoenitatem, verborum modificationem' admiratur (X. 3. 14; I. 5. 2; I. 7. 19), sed etiam proprium et emendatum sermonem. Quem non sine animi indignatione a Gallo Asinio et Largio Licino defendit, qui librum '*Ciceromastiga*' inscriptum confecerant (XVII. 1). Nam si quicquam, potius nimium quoddam urbanitatis studium in eo reprehendit auresque delicatiores, quod multis verbis, quae satis bonae notae sint, tamquam parum latinis abstiuuerit (X. 21. 2; XIII. 21. 22). In eloquentia cum Demosthene eum comparat (XV. 28. 6) et eos antiquorum laudatores male sapere docet, qui C. Gracchum illi praetulerint (X. 3. 1); nam ne Catoni quidem plus laudis tribuendum esse, quam quod 'parum contentus aetatis eloquentia jam tum facere *voluerit*, quod Cicero postea *perfecisset*' (ibid. 16). Similiter de C. Caesaris (IV. 16. 8), Varronis (XIII. 17. 2), Sallustii (IV. 15) sermone existimat. Porro ipse deridet ineptam obsoletorum verborum ostentationem, praesertim cum propriam eorum significationem, qui adhibeant, saepissime non noverint (XI. 7; XVI. 9. 2). Postremo etiam in eo a Frontone defecit, quod Graecos, quos ille contempsit [55]), plurimi aestimavit scriptores: quibus tantum tribuit, ut satis eleganti pulchri judicio Virgilium Homero et Pindaro (XIII. 27. 3; XVII. 10), Latinas comoedias Graecis posthaberet, Romanos autem philosophos prae Graecis plane negligeret.

Hactenus de Gellii studiis. Rem, quantum absit, ut absolverim, probe sentio: nonnulla tamen mihi videor attulisse, quae viris eruditis illas quaestiones aliquando, doctius sine dubio et ingeniosius, retractaturis pro materia et adminiculo esse possint.

III.

Superest, ut de *scriptis Gellii* peroretur: qui locus paucis absolvi poterit, cum multa eorum, quae huc pertinent, jam supra suo loco exposita, alia editoribus relinquenda sint. — Quid potissimum spectaverit Gellius, cum 'adnotationes pristinas' suas (praef. §. 4) digereret, contexeret, elimaret, satis modeste ipse profitetur in prae-

54. Cf. Fronton. epp. p. 134; 84.

55. Cf. eundem epp. 51; 48. — Scripsit enim interdum Graece Fronto, non quo literas illas valde adamavisset, sed ne ullam eruditionis partem incultam relinqueret, cf. p. 56. Nieb.

fatione. Nihil ultra dicit sibi propositum fuisse quam, ut 'liberis quoque suis partae istiusmodi remissiones essent, quando animus eorum laxari indulgerique potuisset.' Neque tamen adeo omni ambitione in literis vacavit, ut majorem legentium numerum neque speraverit neque in scribendo respexerit. Captat enim in eadem praefatione paullo infra satis timide lectorum benevolentiam, affirmans: neque 'in scholis decantata commentariisque protrita' neque nimis 'scrupulosa et anxia' esse, quae commentariis suis inserenda existimaverit: 'neque enim usquam fecisse se altos nimis et obscuros quaestionum sinus, sed primitias quasdam et quasi libamenta ingenuarum artium eaque non docendi magis quam admonendi causa dedisse.' Unde elucet, non tam accuratae intelligentiae, subtiliori cognitioni quam festinantiori promiscuae eruditionis studio voluptatique legentium eum voluisse consulere. Cujus levitatis vestigia est ubi deprehendamus in ipsis Noctibus Atticis. Nam multa, quae ipse parvi faceret (XVII. 21. 1), immo ludibrio haberet (X. 12. 4), a se impetrare non potuit, ut praetermitteret, 'ne lector talium auditionum rudis omnino et ἀνήκοος esset (IX. 4. 5); alia eo tantum consilio adspersit, 'ut interea vigiliarum inquies acquiesceret' (XIX. 9. 5); alia, ut quotidiano vitae usui prospiceret (XX. 10. 6). Nunquam fere ejusmodi quaestionibus indulget, quae ad vitam nihil pertineant; quales si forte attigerit, solet aut urbane se expedire (IX. 4. 11; V. 15. 9; V. 16. 5) aut simpliciter ad eos libros, unde largior doctrina peti possit, delegare (XVII. 13) aut in mediis angustiis deserere lectorem (XI. 12; II. 25). Quam suam subtiliorum quaestionum incuriam aperte confitetur in epistola ad amicum data (XIV. 6. 5): 'noctes enim suas de uno maxime Homeri versu quaerere: 'ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.' Praeterea in promptu est, quantum artis et operae impenderit, ut siccis commentationibus passim condimenta quaedam adspergeret. Primum enim legentium satietati occurrere studuit rerum narratarum varietate quam maxima. Mero arbitrio ductus in omnibus doctrinae partibus quasi circumvagatur; neque in eo acquievit, ut in diversis capitibus diversa narraret, sed commisit etiam, ut eodem capite dissimillima comprehenderet, temerario cogitationum lusu ab una re ad alteram delatus.[56]) In quo tanta saepe est ejus licentia, ut vix possit festinationis absolvi.[57]) — Maxime

56. I. 17. 6; XII. 9. 6; IV. 11. 14; V. 8. 8; V. 21. 16; IX. 4. 14.

57. Neque omnino dubium esse potest, quin paullo festinantius adnotationes suas, summa diligentia olim collectas, in eam, qua nunc exstant, formam redegerit. Cujus levitatis indicia haec sunt: quod multos scriptorum locos, etiam eorum, qui in omnium manibus erant, memoriter adnotavit (X. 3. 9; X. 29. 2; II. 24. 15; VI. 16. 5; VII. 2. 2 al.); deinde, quod haud raro bis similiter de iisdem rebus disputavit (III. 16. 19 et XV. 5. 5 — XVII. 2. 20, et XIII. 3 — XVII. 14. 1 et VIII. 15 lemma — IV. 17. 6 et II. 17. 7) postremo, quod ne id quidem satis certo meminerat, num qua de re jam verba fecisset, necne (XVIII. 4. 11). — Poterant autem talia facillime occurrere festinanti, praesertim cum non sua manu scriberet sed scribae dictaret (I. 23. 2; III. 18. 9). Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus etiam hoc Gellii oblivioni tribuamus, quod 'uberiores illi tractatus', quos alio loco fecisse (V. 12. 10), alio facturum se esse dicit (XVII. 1. 9) in nostris exemplis nusquam reperiuntur. Neque

autem lectores sibi propitios reddit narrationis festivitate: inducuntur grammatici arduis superciliis nescio quid insulsum affirmantes, deinde sudantes, erubescentes, ludibrio dati; philosophi 'criniti barbatique', vitae asperitate admirationem captantes; rhetorisci cum ingentibus clamoribus et laterum contentionibus ineptissima quaeque declamantes; arrogantes adolescentuli, qui ab aliquo praeceptore misere salibus perfricantur, alia multa, quae vegetissimis coloribus ad vitam expressa sunt. Nam est, ubi prope ad optimorum scriptorum artem Gellius accedat: tantum expromit leporis, dicacitatis, festivitatis. Vide modo locos V. 21; XVI. 6; XV. 9; XVIII. 4. 6; XIII. 31.

Esset jam ex ordine disserendum de *elocutione* i. e. de sententiarum et verborum exornatione. Cum vero amplior sit is locus et gravior, quam quo paucis plagulis defungi possim, satius esse visum est, ad aliam scribendi opportunitatem illam quaestionem reservare, quam justo brevius absolvere.[58])

Relinquitur, ut paucis narremus, quomodo posterioribus Gellius operam suam probaverit; nam de aequalium judicio nihil omnino memoriae traditum est. Non ignobilem eum fuisse inter grammaticos, primum inde intelligitur, quod *Nonius Marcellus*, qui tertio p. Chr. saeculo[59]) librum suum 'de compendiosa doctrina' scripsit, saepissime non solum testimonia a Gellio congesta in suum usum convertit, sed etiam illius judicia iisdem paene verbis transscripsit. Reperiuntur enim septuaginta fere loci, ubi e Gellio ille hortulos suos irrigavit: in quo id unum mirum est, quod nusquam Gellii nomen legitur adscriptum.[60]) Quibus rationibus Nonius adductus fuerit, ut illum 'veterem prudentem' vel 'veterem auctoritatis obscurae' appellare, quam nominare mallet, non satis liquet: at minime omnium verisimile est, tam occulta tunc Gellii scripta fuisse, ut Nonius, si quidem furtum facturus erat, sperare potuerit, celato auctoris nomine id in occulto fore.

Forsitan recte hominis mentem Mercerus perspexerit, qui (p. 89. edit. suae) Nonium ea de causa suspicatur Gellium nominare noluisse, quod is recentior ideoque

---

opus est, ut aut de Noctium lacunis aut de aliis Gellii commentationibus cogitemus, quae ad nostram aetatem non pervenerint.

58. Aut suscepti negotii amor me fallit aut multum utilitatis ad literas ex accurata Gellianorum verborum collectione et exploratione redibit. Desiderantur enim adhuc multa vocabula, quae in novissima Hertzii editione ex codicibus restituta sunt, in lexicis nostris; alia parum emendata ibi scripta sunt; alia, quae ab Hertzio exturbata sunt, adhuc Noctium Atticarum auctoritate defenduntur. Utique necesse est, eum, qui in Gellii sermonem inquirit, prudenter distinguere inter ea vocabula, quae solius Gellii sint, et ea, quae inde primum prodeant; inter ea, quae ex priscis auctoribus et quae ex poetarum sermone ille assumpserit, denique inter ea, quae cum aurei et quae cum argentei aevi scriptoribus illi sint communia.

59. Cf. Gerlachium in praefat. ad Nonii edit. p. VIII sqq.

60. Non. p. 88 (Gell. VI. 6. 1); p. 116 b. (Gell. XVIII. 13. 6); p. 127 b. (Gell. XIV. 1. 24); p. 299 (Gell. X. 24. 10); p. 335 b. (Gell. I. 17. 2). Dubitari potest de locis: Non. p. 50 a. (Gell. XI. 7. 5); p. 70 (Gell. XVII. 2. 16).

minoris auctoritatis fuerit. — Multo etiam impudentius Noctes Atticas compilavit, qui medio quinto saeculo scripsit, *Macrobius* [61]), qui adeo omnem verecundiae modum excessit, ut non singulos locos sed integra capita ad verbum exscriberet. Nihilominus nusquam Gellius, qui, — ut Gronovii verbis utar, — 'Macrobiani oris quasi norma est', ab eo commemoratur; immo potius laboravisse videtur homo improbus, ut immutandis paululum verbis, transponendis locis, pluribus capitibus in unum conglutinandis fraudem suam occultaret. Unde hoc apparet, quinto certe saeculo non ita in vulgus notas fuisse Noctes Atticas, ut tale furtum a quolibet facile deprehendi potuerit. Accedit, quod raro a grammaticis illorum temporum ejus fit mentio; nam, si *Priscianum* [62]) et *Servium* [63]) exceperis, nemo grammaticorum, quod equidem scio, ejus auctoritate utitur. Obiter eum commemorat *Augustinus*, qui 'elegantissimi eloquii et multae fecundaeque scientiae virum' eum appellat (de civit. Dei IX. 4) et *Lactantius*, qui septimi libri initium laudat, quod miro casu deest in codicibus (epit. Institut. c. 19). Quo jure Christianus Falster (l. c. p. 268) *Ammianum Marcellinum* 'pertinacissimum Gellii imitatorem' vocaverit, ii judicent, qui illius scriptoris usum me accuratius perscrutati sunt.

Peregimus, quod propositum fuerat. Tantum abest, ut et quaestionum gravitati et intelligentium judicio satisfecisse nobis videamur, ut id persuasum habeamus, multo doctius subtiliusque eas quaestiones tractatum iri in ampliore, quam adhuc exspectamus, Hertzii editione, quae ut quam primum prodeat, et literis opto et mihi. Satis superque exignae meae operae pretium habebo, si nonnulla eorum, quae a me exposita sunt, viris eruditis, totam disserendi rationem *Hertzio*, V. D., praeceptori dilectissimo, probavero, cui pio animo, quicquid in hoc studiorum genere adhuc profeci, acceptum refero.

---

61. Macrobius exscripsit Gellium in 'Saturnalibus': I. 3; I. 4; I. 6; I. 12; I. 16; II. 3; II. 6; II. 7; II. 8; III. 3; V. 17; VI. 7; VI. 8; VI. 9; VII. 15.
62. Priscian. Instit. gramm. p. 705. 713. 773 ed. Putzsch.
63. Serv. ad Virg. Georg. I. 261; ad Aeneid. V. 739; VII. 740.

Dr. Theodor Vogel.

Jahresbericht.

Von Ostern 1859 bis Ostern 1860.

I.

Chronik.

Wir blicken auf das abgelaufene Schuljahr mit innigem Danke gegen Gott zurück, der Schlimmes von uns fern gehalten und unsere Arbeiten mannichfach gesegnet hat.

Im Lehrer-Collegium ist nur eine Veränderung eingetreten. Zu Ende des Sommerhalbjahres gab der provisorisch angestellte Lehrer Hr. Dr. **Voigt** seine Stelle auf, um einem Rufe an die Annenschule in St. Petersburg zu entsprechen. Gern hätten wir den kenntnißreichen und gewissenhaften Mitarbeiter noch länger in unserer Mitte gesehen; dem Scheidenden sind unsere besten Wünsche gefolgt. Ihn zu ersetzen, berief alsbald das hohe Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts Hrn. Dr. **Frohberger**, über dessen bisherigen Lebensgang wir im Folgenden nach seinen eigenen Mittheilungen berichten.

Dr. phil. Gerhard August Hermann **Frohberger**, Sohn des 1854 verstorbenen Buchhändlers Adolf Frohberger, ist geboren zu Leipzig am 31. März 1836. Auf der dortigen Bürgerschule vorgebildet, trat er 1847 in den Externencötus des Gymnasiums zu St. Thomä ein und bezog 1852 die Universität Leipzig. Nachdem er im ersten Jahre sich vorwiegend mit theologischen Studien beschäftigt, wandte er sich vom dritten Semester an der Philologie und Geschichte ausschließlich zu, indem er, durch Westermanns Vorträge angeregt, mit besonderer Vorliebe die griechischen Redner und Historiker zum Gegenstande seines Studiums wählte. Daneben hörte er philologische Collegia bei Kloß, Nitzsch, Stallbaum, Sanskrit bei Brockhaus, Hebräisch bei Tuch, Geschichte bei Wachsmuth, Wenck, Müller, Brandes, Philosophie bei Drobisch, Hartenstein, Weiße; den Uebungen des philologischen Seminars wohnte er sechs Semester hindurch bei. Deprimirende Familienverhältnisse, besonders der Tod seines Vaters — die Mutter hatte er schon in frühester Jugend verloren — wirkten ungünstig auf den Verlauf seiner akademischen Lehrzeit ein. 1857 bestand er das Examen für die Candidatur des höheren Schulamtes und gleich darauf dasjenige für Erlangung des philosophischen Doctorgrades. Schon vor Absolvirung der Prüfung war ihm eine Aufforderung geworden, als Lehrer der alten Sprachen und der Geschichte an dem von Dr. Francke dirigirten Privatgymnasium zu Rogasen im Großherzogthum Posen einzutreten und er beschloß, da er von dem hohen Ministerium des Cultus beruhigende Zusicherungen bezüglich seiner späteren Rückkehr nach Sachsen erhielt, diesem Rufe zu folgen, angelockt von der Neuheit der dortigen Verhältnisse. Die in dieser mit mancherlei Schwierigkeiten verknüpften Stellung ihm verbleibende Muße benutzte er theils zur Bereisung der östlichen Provinzen der Monarchie und des Königreichs Polen, theils zur Vorbereitung für das preußische Examen pro licentia docendi, welches er im Anfange des Jahres 1859 vor der Prüfungs-Commission zu Greifswald mit dem gewünschten Erfolge und der

Qualification zum Oberlehrer ablegte. Wenige Wochen später übernahm er an dem (evangelischen) Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen das Ordinariat des einen Cötus der Quarta. Die bei der feindseligen Stellung der deutschen und polnischen Nationalität wenig erfreulichen geselligen Zustände der Stadt wie der ganzen Provinz machten aber den Wunsch der Rückkehr ins Vaterland mehr und mehr in ihm rege und so trug er kein Bedenken, als ihm im August v. J. das Wohlwollen des hohen Ministeriums Aussicht auf die vacant gewordene provisorische Lehrerstelle an dem Gymnasium und der Realschule zu Zittau eröffnete, diese Stellung anzunehmen und nach Ablehnung einer ihm angebotenen Stelle am St. Annen-Gymnasium zu Petersburg im October in sein neues Amt einzutreten.

Den Schluß des vorhergehenden Schuljahres hatte die höchste Behörde für den Unterzeichneten dadurch bezeichnet, daß sie ihm den Titel eines Professors verlieh, und die Weise, in welcher der Vorstand der Gymnasial- und Realschul-Commission, Hr. Bürgermeister Haberkorn, das darauf bezügliche Dekret zur Mittheilung brachte, ließ die Anerkennung um so bedeutsamer erscheinen.

Durch Gratificationen erfreute das hohe Ministerium die Collegen Preßler und Habenicht. Jenem wurde so der Besuch eines Seebades auf den friesischen Inseln erleichtert.

